



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 126. S. Antonius Archiepiscopus Florentinus renuntiatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A. C. 1446.

§. CXXV.

*Duo Cardinales ab Eugenio creati.*

*Æn. Sylv.  
comm. l. 1.*

*Antonin. tit.  
22. c. 11. §. 17*

Sanctus Antoninus & Æneas Sylvius, qui hanc Francofordiensis conventus sententiam nobis scriptam reliquerunt, narrant, Eugenium prædictos suos Legatos, eoquod rem bene feliciterque egissent, ad Cardinalatus purpuram promovisse, illisque Francofordia Romam redeuntibus, cum jamjam urbem ingrederentur, rubros galeros obviam misisse, ut ea dignitatis prærogativa aucti, in urbis ingressu augustiores apparerent. Equidem Thomas paulo post Eugenio in Pontificatu successit, Carvajalus autem insignibus legationibus prospero semper successu functus reperitur.

§. CXXVI.

*Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus renuntiatus.*

Eodem ferme tempore Eugenius sanctum Antoninum nominavit Archiepiscopum Florentinum, eumque suffecit in locum Bartholomæi de Zabarellis: Hic erat Nepos alterius ejusdem nominis Cardinalis, quem Cardinalem Florentinum vulgo appellare consueverant; eoquod & ipse urbis illius Archiepiscopus

pus esset. Primam lucem aspexit S. Antoninus anno salutis supra millesimum trecentesimo octogesimo nono, & decimo sexto ætatis suæ anno Ordinem S. Dominici ingressus, postmodum pluries Prioris officio functus est in conventibus Romano, Neapolitano, Cajetensi, Cortonenſi, Senensi, Florentino, Pistoriensi, Fesulano, aliisque Italiae civitatibus. Adeo celebris est hujus Viri ad Sedem Florentinam electio, ut merito sibi in Historia nostra locum vendicet.

## §. CXXVII.

*Qua ratione S. Antoninus ad Florentinum Pontificatum assumptus.*

Cum Eugenius vacanti Florentinæ Ecclesiæ Virum undequaque dignum sufficere meditaretur, diu hæſitantem, seu potius inquietum reddebant artes, precesque importunæ eorum, qui ad eam dignitatem consequendam maxima ambitione ferebantur. Hi equidem omnes tam auctoritate, quam favoribus non modo in Curia Romana, sed & in urbe eminebant. Postulabant Florentini Virum gravem scientia, ac virtutibus ornatum, & imprimis urbis suæ Civem, a quo majores sibi spondebant fructus, cum talis subditi sibi gregis mores ac indolem magis compertam haberet. Justa & æqua

Sæcul. XV.  
A. C. 1446.

Baillet. Vit.  
Sanct. tom.  
2. 10. Maji  
p. 183.